

**Dissertatio anatomica muscularum varietates sistens : quam consensu  
gratiosi medicorum ordinis praeside Carolo Asmund Rudolphi ... / publice  
defendet Carolus Frider. Ludov. Gantzer.**

**Contributors**

Gantzer, Karl Friedrich Ludwig.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Joannis Friderici Starckii, [1813]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/xp7tzmy8>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

2

# DISSE<sup>T</sup>ERTATIO ANATOMICA **MUSCULORUM** VARIETATES

SISTENS


QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM  
ORDINIS

P R A E S I D E

**CAROLO ASMUND RUDOLPHI**

PHIL. ET MED. DOCT. HUIUS PROFESS. P. O. MEMBRO COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARII, ACAD. SCIENT. REG. BEROLINENS. ET IMPERIAL. PETROPOL. SOC. MED. PARIS. ET MONSPELIENS. FAUPORUM REI VETERIN. HAFNIENS. NATURAE SCRUTAT. BEROLIN. ET MOSQUENS. PHYSICARUM JE-  
NENS. GOTTINGENS. ET ROSTOCHIENS. MEDICO-PHYS. ERLANGENS. LINNAEANAE LIPS. SYDENHAM. HALENS. NEC NON MI-  
NERALOG. JESENS. SODALI, FAC. MED. H. A. DECANO



SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

LEGITIME IMPETRANDIS

P U B L I C E D E F E N D E T

**CAROLUS FRIDER. LUDOV. GANTZER**  
BRANDENBURGENSIS.

D. XIII. MART. M. A. MDCCCXIII.

---

BEROLINI.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22308258>

---

Specimen inaugurale exhibitulo non inutilis visus fuit labor varietates colligere myologicas, vel dum practicis in theatro nostro anatomico interfui exercitationibus, a me observatas, vel ab illustrissimo Praeside visas et benevole mecum communicatas.

Cadavera ultra ducenta singulis semestribus hyemalibus in theatro anatomico dissecantur, quorum circiter centum et quinquaginta, dum scopo vel myologico, vel angiologico aut neurologico praeparantur, quoad musculos attente examinari nobis statuere licet. Non potest ergo fieri quin horum varietates quotannis exhibeantur plurimae, unde de singulorum frequentia vel raritate judicium iterum facilius redditur.

---

## §. I.

Dantur musculi saepissime deficientes, quo  
*psoas minor, pyramidalis abdominis, palmaris lon-*  
*gus, plantaris et gemelli superiores* pertinent.

*Psoas minor et pyramidalis* <sup>1)</sup> omnium sae-  
pissime desunt. *Plantaris* quam *palmaris* ra-  
rius deest.

## §. 2.

Inter inconstantes *musculus glandulae thy-*  
*reoideae, sternalis brutorum, tertium caput bici-*  
*tis brachii, accessorii ad musculos manus et ac-*  
*cessorius plantae gastrocnemios adjuvans saepissi-*  
me adsunt.

## §. 3.

*Musculus articularis genu* <sup>2)</sup> sive *subcruralis*

---

1) Praeses in Diss. de Hyaena (Berol. 1811. 4. p. 13) pyramidales urso deesse dixit, cum in Urso arcto nullos ob-  
servasset, sed in Ursa maritima postea reperit, et ejusdem  
quidem, ac Hyaenae, indolis nimirum extra rectos abdomi-  
nis positos.

2) *Sömmerringius*, vir illustr. (De C. H. fabrica T. III.  
p. 300) illum nonnunquam adesse; cel, *Hesselbach* (*vollstän-*  
*dige Anleitung zur Zergliederungskunde*. II. B. 1. H. Arn-  
stadt 1810. 4. p. 116) rarum vecat; sed *Albinus* (Annot.  
Acad. Libr. IV. Cap. V. p. 27) se subcruralem in aliis aliis-  
que alio atque alio modo conformatum observasse refert  
ideoque certe non rarum aut insolitum habuit.

rarus dici non meretur. Semper forsan adest: saepissime a *crurali* obtegente distinctissimus, mox major, mox minor, vel simplex, vel plus minus divisus; interdum vero cum crurali confusus, ut limites aegre reperiantur, tumque deesse dicitur.

#### §. 4.

Capitis musculi magnitudine quidem variant, et nonnullis fasciculi inconstantes sunt, v. c. tam *attrahentibus*, quam *retrahentibus auris*, uti etiam *zygomaticus minor* majori interdum non additur, ceterum autem constantissimi sunt.

*Musculorum oculi rectorum* alterum defuisse egimus, quod Praeses nunquam observavit.<sup>3)</sup> Faciei musculi praeter *zygomaticum minorcm*, uti supra dictum est, semper quoque adsunt.

In collo et trunco varietas major obtinet, in extremitatibus maxima.

#### §. 5.

Saepius musculi novi adduntur quam con-

3) Nisi in monstris. In acephalis spuriis plerumque pa-  
ter adsunt; semel tantum in ejusmodi foetu rectum supe-  
orem desideravit. Nuper autem foetus monstruosus palato  
sso aliisque vitiis laborans dissecitus est, in quo, licet pal-  
ebrae perfectae adessent, tam oculi bulbi quam horum mu-  
li deficiebant.

sueti desunt, si *psoam minorem, pyramidalem palmarem longum et plantarem* exceperis.

Generatim quidem accessorii in corporibus torosis saepius observantur, interdum tamen in gracilibus quoque occurunt.

In cadaveribus trium juvenum francogallicorum eodem tempore dissectis Praeses complures observavit musculos accessorios. Casu forsitan hoc accedit, fieri tamen posset ut in regionibus australioribus tales saepius occurant.

#### §. 6.

#### *Musculorum colli aliquot varietates.*

*Latissimis colli* in corpore viri adulti toros validissimis, ubi ad mentum adscendebant (sive eodem tamen) fibrarum transversalium fasciculi satis fortes incumbere vidimus.<sup>4)</sup>

*Digastrici maxillae* venter maxillaris nota raro multiplicatur; exemplum egregium certe Fleischmann<sup>5)</sup> descriptus et icone illustravit.

*Sternomastoideos* et *cleidomastoideos* separatos quoque passim observavimus.

4) Musculum consimilem cel. *Fleischmann* habet (A. *handlungen der physikal. Medizin. Societät zu Erlangen* B. I. S. 28.)

5) l. c. p. 26, 27, Tab. I. Fig. I.

*Sternocleidomastoidei* tendinem sternalem cum *recti abdominis* tendine coire vidimus, plerumque tamen pars intermedia proprium sistit **musculum**, de quo in § insequ.

*Sternohyoideum* ut plurimum haud procul ab initio linea tendinea notari, Soemmerringius recte monet; interdum tamen inscriptio ista magis remota, ut tres ultra pollices ab origine distan- tem invenerimus.

*Omothyoideum* viri adulti sinistrum deficien- tem, hujus vero loco sternothyreoideum ejusdem lateris fissum et hinc oblique decurrentem, illius itaque defectui supplementum Praeses observavit. <sup>6)</sup>

*Musculus glandulae thyreoidea* non raro ob- vius, Praesidi nunquam par aut symmetricus vi- sus est, sed vel dextram vel sinistram dictae glandulae partem potissimum petens; neque sem- per ab osse hyoideo, sed aequa saepe a cartila- gine thyreoidea originem capit.

#### §. 7.

#### *Musculus sternalis brutorum.*

*Sternalis brutorum* vulgo dictus, vel mu- culus in summo thorace situs, quem *Dou-*

6) Soemmerringius (l. c. p. 113.) idem de *sternohy-  
ideo* refert.

*glass* <sup>7)</sup> vocat, vel thoracicus ab ill. *Sandifort* <sup>8)</sup> quoad complures varietates fuse descriptus, persaepe occurrit <sup>9)</sup> et maxime ludit.

Rarissime utrumque, plerumque alterum tantum occupat latus. Interdum ab sterno exortus huic quoque inseritur, utrinque tendineus, ut plurimum gracilis, media majoreque parte carnea, mox aequali, mox medio contracta. Nonnunquam unam alteramve aut plures petit costas (v. c. tertiam ad quintam) tumque multo latior et fere triangularis, oblique decurrens. Saepissime neque cum sternocleidomastoideo neque cum recto abdominis conjungitur.

Quando sterno soli impositus est, nullius certe usus, alias inspirationem plus minus adjuvare potest.

---

7) *Descriptio comparata muscularum corporis humani et quadrupedis.* L. B. 1729. 8. p. 78.

8) *Exercitationes academicae (Liber I.)* L. B. 1783. 4. p. 82 — 88.

9) *B. S. Albinus,* anatomicorum decus (*Historia Muscularum Hominis* Ed. alt. Francof. et Lips. 1784. 4. p. 262.) Musculo recto illum addit, immerito rarum vocat.

## §. 8.

*Triangularis sterni.*

Cel. *Rosenmüller*<sup>10)</sup> *triangularem sterni* inferiora versus cum *transverso abdominis* coire recte monet, quemadmodum etiam summus *Albinus*<sup>11)</sup> tanquam hujus continuationem considerat. Nihilo tamen minus utrumque sub eodem nomine<sup>12)</sup> conjungere nolle, cum fasciculi triangularis superiores persaepe ab inferioribus disjuncti sint propriosque sistant musculos.

## §. 9.

*Diaphragmatis varietas rarer.*

*Huberus Soemmerringio*<sup>13)</sup> teste in pueruli trimestris media et priore tendinis diaphragmatis parte fibras musculares transversas reperit: Praeses quoque fasciculum fibrarum carnearum subtransversalium ultra pollicem latum pauloque breviorem infra venae cavae ostium in tendine diaphragmatis hominis adulti observavit.

10) De nonnullis muscularum c. h. varietatibus. Lips.  
1804. 4. p. 9.

11) l. c. p. 278.

12) *Sternoabdominalis* *Rosenmüller* l. c.

13) l. c. p. 162, in nota.

*Scalenorum, levatorum longiorum costarum*  
*aliorumque muscularum trunci varietates vulga-*  
*res omittimus.*

§. 10.

*Musculus claviculae novus.*

In cadavere senis septuaginta octo annos nati clavícula sinistra (non itidem dextra) musculum obtulit Praesidi neque antea neque postea visum, cuius mentionem nullibi factam esse invenio.

Tendo acutus teretiusculus claviculae superficie superiori, distantia ab extremo sternali circa pollicari, insertus brevi in carnem tenuem, planam, sensim latescentem (tandem fere pollicem latitudine aequantem) abiit, quae supra claviculam et deltoideum musculum ad summum humerum ferebatnr, ibidemque aponeurosi terminabatur cuti immixta.

Cutem humeri procul dubio contrahere potuit.

In eodem cadavere geminus superior utriusque femoris defuit, reliqui musculi normales erant.

## §. 11.

*Musculus articuli humeri novus.*

In cadavere juvenis, Francogalli, musculus singularis, neque alibi visus, neque ab auctori- bus descriptus <sup>14)</sup> apparuit.

Tendine brevi at satis forti a costa secunda lateris sinistri (non pariter dextri) mox pone ejusdem cartilaginem intercostalem obortus ventrem efficiebat depresso adscendentem, a pectorali minori majorem partem obtectum, tandem iterum tendineus factus membranae humeri capsulari inserebatur.

## §. 12.

*Pectoralis major anomalus.*

*Pectoralis majoris* varietates plurimas *Soemeringius*, vir ill. collegit <sup>15)</sup>), quibus novam ad-

14) Musculus pectoralis minoris accessorius, quem *Rosenmüller* (l. c. p. 6.) describit, nostro quidem analogus, sed diversus.

15) l. c. p. 219. Quam *Caldani* affert (Institut. anatomicae. T. 1, Lips. 1792, 8. p. 239.) cum nostra plurimum convenit.

dam in brachio dextro juvenis Francogalli nuper observatam<sup>16)</sup>).

Partis nempe sternalis lacertus teres digitum minimum crassitie adaequans brachio non insertus, sed tendinem qui omnes lacertos colligere solet, transeundo brevi ante flexuram cubiti in tendinem tenuem mutatus fuit, cuius fibrae fasciae antibrachii immiscebantur, ut hanc tendere potuerit, ideoque brachii robur auxerit.

### §. 13.

#### *Musculi manus accessorii.*

Exempla horum saepe quidem occurunt, nonnulla tamen a nobis visorum heic enumereare non superfluum ducimus.

a) *Accessorius ad flexorem carpi radiale*. In cadavere militis robustissimi suicidae<sup>17)</sup> abductor digiti minimi dextrae manus supra ligamentum carpi ad duorum pollicum longitudinem musculosus adscendebat et tenuior factus fibris tendi-

16) In sinistro latere pectoralis major solito more se habuit. In eodem cadavere *sternalis brutorum* utriusque lateris validus aderat.

17) In quo etiam sartorium duplēm et accessorium pedis observavimus, cui autem palmaris longus utrinque deerat.

nosis brevissimis, vel fere ope cellulosae firmae tendini flexoris carpi radialis inserebatur.

b) *Accessorius ad flexorem profundum digitorum*<sup>18)</sup>.

In cadaveris viri viginti sex annos nati, musculis ingentibus insignis, aqua mersi utroque brachio musculus conspiciebatur a condylo humeri flexorio inter flexorem sublimem et profundum exortus, mox carneus, ventrem exhibens tres circiter pollices longum, tres fere lineas latum, lineam crassum, tendinem autem fere quadripollicarem, tenuem, cylindricum, tendini flexoris profundi (pollicis a carpo distantia) insertum illumque adaugens.

c) *Accessorius ad flexorem pollicis longum.*

In ejusdem cadaveris cuius accessorium ad flexorem digitorum profundum descriptissimus, utroque brachio, eodem quidem sed magis exteriori loco musculus enatus erat aliquot linearum lon-

18) In cadaveris feminae adultae, tenuioris habitus brachio dextro (neque pariter sinistro) a flexore pollicis longo (duorum circa pollicum distantia a basi radii) venter oriebatur carneus aliquot lineas latus, sensim tenuior, in carpo tendineus factus, et flexoris profundi tendini ad indicem delato insertus, qua lumbricalis primus exoritur. *Indicus quasi flexor brevis.*

gitudine tendineus, tum carneus, ventrem sistens bipollicarem, tres lineas latum, lineam crassum, dein tendinem exhibens fere sesquipollicarem, tenuem, flexori longo pollicis et ita quidem additum ut hujus fibris immisceretur.

d) *Indicator biceps.*

In cadavere viri adulti minime toroso utrumque brachium indicatorem bicipitem obtulit.

Caput accessorium supra carpi medium partem exortum (eiusdem fere magnitudinis ac caput solitum) tendine brevissimo in tendinem indicatoris (angulo acuto) ita abiit, ut fibrae intime conjungerentur.

§. 14.

*Muscularum femoris aliquot varietates.*

*Sartorius duplex* <sup>19)</sup>. In femore militis robustissimi suicidae dextro sartorius quidem tam validior ac alias esse solet, quam carne maximopere descendente insignis, ceterum autem simplex erat. In femore vero sinistro penitus duplex, et simul crassissimus. Sartorius externus, uti in Rosenmuelleri exemplo, accessorius erat. Interno solito more oberto haud longe infra ori-

19) Cel. Rosenmüller I. c. p. 7. sartorium dextri femoris accessorium describit.

ginem tendo externi addebatū valde brevis si-  
mulque tenuis, tum vero hic carneus et fere ae-  
que validus factus infra genu descendebat in ten-  
dinem interni iterum abiens. Caro sartorii in-  
terni sive veri ceterum maxime et longius quam  
externi descendebat.

*Musculum tricipitem femoris* nuper in cada-  
vere viri adulti *quarto capite* quod adductori  
brevi analogum erat, auctum vidimus.

*Biceps femoris* rarissime *triceps* observatur,  
dum biceps brachii saepe talis occurrit. In cada-  
vere juvenis Francogalli, cui etiam accessorius  
pedis aderat, femur dextrum (neque sinistrum)  
bicipitem singulari modo tricipitem exhibuit.  
Praeter solita enim capita tertium aderat tenuis-  
mum quod a tubere ischiatico brevi tendine ex-  
ortum mox in ventrem abiit subcylindricum, di-  
gito minimo tenuiorem, qui tandem supra po-  
plitem ventri longo solito addebatū.

### §. 15.

#### *Accessorii ad calcaneum.*

In cadavere juvenis, cuius biceps femoris  
tertio capite auctus erat, utrinque accessorius ad  
calcaneum comparuit.

Musculus iste pone flexorum pollicis lon-  
gum, et ante tendinem Achillis, a tibia et fibula

obortus ventrem efficiebat tres circiter pollices longum, sesquilineam crassum; supra calcaneum in tendinem fortiusculum abiit, qui ad plantam pedis introrsum vergens (infra malleolum internum) calcanei superficie inferiori et fere mediae insertus, gastrocnemiorum in calcaneum vim maxime adaugebat.

Consimilem musculum Praeses in utroque senis pede observavit, carnosum, pollicem latum, quatuor fere pollices longum interstitium inter tendinem Achillis et flexores pedis longos ex plentem tandem tendine calcaneum simili modo petentem.

Confer musculum insequentem.

### §. 16.

#### *Accessarius ad flexorem digitorum pedis longum.*

In cadavere militis suicidae robustissimi, cuius supra mentio jam facta est, Praeses muscolum priori (§. 15.) maxime affinem sed diverso modo terminatum, in utroque crure observavit.

Ante tendinem Achillis venter musculosus pennatus aderat duos pollices longitudine superans, inferiorem flexoris longi pollicis partem obtegens et includens, duabus capitibus hinc nimirum a tibia illinc a fibula exortus; inferiora

versus musculus angustior fit, tandem tendinem efformans teretem, qui infra malleolum internum ad plantam pedis fertur, ibidemque carnem quadratam Sylvii intrans totam hujus longitudinem percurrit.

Lusum naturae videmus, dum musculus quoad originem priori quidem simillimus, non calcaneo inseritur, sed flexori longo digitorum additur.

Cel. *Rosenmüller* <sup>20)</sup> similem musculum habet, et praeterea analogum priori, diversum tamen, refert.

### §. 17.

#### *Lumbricales pedis terni.*

In musculis pedum minoribus varietates non raro observamus, v. c. in extensore digitorum brevi capitibus accessoriis instructo, rarius autem lumbricales numero variant.

In cadavere tamen viri robustissimi, aqua mersi plantae Praeside observante ternis tantum lumbricalibus instructae erant. In dextro nimirum pede lumbricalis digitii quarti, in sinistro vero ille digitii quinti desiderabatur. Lumbricales manus hujus cadaveris solito more quaterni erant.

<sup>20)</sup> l. c. p. 8.

## §. 18.

*Appendix de Musculi latissimi dorsi varietate.*

Dum dissertatio nostra prelo jam committitur novam in theatro anatomico latissimi dorsi varietatem observamus, quam addere non superfluum erit.

Fasciculus nempe carneus pollicem dimidium latitudine aequans tendinem communem latissimi dorsi non intrat, sed eundem transiens tandem tendinens factus tendini pectoralis majoris additur eumque adauget. Variae a *Soemmerringio* <sup>21)</sup> et *Rosenmüller* <sup>22)</sup> latissimi varietates recensentur, ista tamen in utroque viri adulti brachio observata ab iisdem recedit, neque Praesidi alias visa.

<sup>21)</sup> l. c. p. 226.

<sup>22)</sup> l. c. p. 5.

---

## THESES.

---

### I.

*Caesaris Bressae de tubae Eustachianae usu sententia (nosmet ejusdem ope propriam vocem audire) falsissima.*

### II.

*Nutritio foetus per liquorem amnii nulla datur.*

### III.

*Intestina ex vesicula umbilicali minime originem capiunt.*

### IV.

*Nervorum cerebralis dictorum ne dimidia quidem pars nomine digna.*

### V.

*Typhus saepissime cum inflammatione conjunctus.*

### VI.

*Morbus boum gallicus dictus perperam hydatidibus adscriptus.*

---

